



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

II. Quid sit peccatum actuale, & quæ ejus causa?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

rare parentes, tempore opportuno ipsis deferendo honorem
eisque succurrendo in necessitate constitutis. Econtrâ Præcep-
tum negativum obligat semper & pro semper, seu pro omni
tempore: quia nullo profus tempore licitum est mœchari, aut
absque legitima autoritate occidere hominem.

12. IV. Ratione diversæ radice, ex qua procedit, dividitur
peccatum in Peccatum ex ignorantia, ex passione, ac ex mali-
tia. Peccatum ex ignorantia dicitur illud, quod ex ignorantia vin-
cibili procedit. Dicitur, ex ignorantia vincibili: quia quod ex igno-
rantia invincibili fit, omnino involuntarium censetur, ac proin-
de peccatum non est. (a)

13. Peccatum ex passione, seu infirmitate est, quod ex gravi
motione appetitûs sensitivi originem ducit, trahentis volunta-
tem ad consensum: quale est, si quis gravi tentatione victus
tandem succumbit peccato. Et tale dicitur etiam Peccatum ex in-
firmitate, eò quòd ex infirmitate conditionis humanæ proveniat;
cùm naturale sit voluntati, ut condelectetur motibus appetitûs
sensitivi, ob fomitem peccati ex peccato originali derelictum.

14. Tandem Peccatum ex malitia est, quod absque ignoran-
tia, vel passione quadam præcedente, committitur ex plena li-
bertate, seu prava voluntate operantis, juxta illud Job. c. 34. *Qui*
quasi de industria recesserunt à DEO. Et hujusmodi peccatum ex me-
ra malitia commissum (cæteris paribus) est gravius, quàm Pec-
catum ex passione.

15. Inter alias autem peccati divisiones celebris est illa, qua
Peccatum dividitur in actuale, & habituale; circa quam quia
plura occurrunt dicenda, hinc ea duabus sequentibus Quæstio-
nibus expeditur, prius tamen agendo de Peccato actuale, & po-
steà de habituale.

Q U Æ S T I O II.

Quid sit Peccatum actuale, & quæ ejus causa?

16. **P**er Peccatum actuale intelligitur actualis transgressio
legis Divinæ: unde tunc committitur peccatum actua-
le, quando actualiter violatur lex Divina, sive deinde id
contingat efficiendo actum à lege prohibitum, sive omit-
tendo præceptum. Tale peccatum actuale v.g. fit, dum quis actu
men-

mentitur, vel actu occidit hominem, aut actualiter omittit auditionem Missæ die Festo. Et de hoc loquendo sic

Et quomodo definitur?

17. CONCL. I. *Peccatum actuale* bene definitur cum D. Augustino lib. 22. contra Faustum, cap. 27. dicendo: *Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei.* Dicitur primò, *dictum, factum, vel concupitum*, ad indicandum triplex peccatum, videlicet cogitationis, oris, & operis. Dicitur ulterius, *contra legem Dei*; nam quamvis etiam detur transgressio legis humanæ, sive Ecclesiasticæ, sive Civilis; hæc tamen non aliter est peccatum, nisi quia est contra legem D. E. I. volentis ac præcipientis, ut nostris legitimis Superioribus quidpiam justè præcipientibus obediamus, prout patet ex Quarto Præcepto Decalogi, & alibi sæpè.

Solvitur obiectio.

18. Si dicas obijciendo contra hanc Conclusionem: allata definitio non convenit peccato actuali omissionis; ergo non est bona. Probaturs antecedens: quia ommissio actus præcepti, v. g. auditionis Missæ die Festo, nec est dictum, nec factum, nec concupitum contra legem Dei, sed potius habet omnium trium ommissio; ergo. Resp. negando antecedens, ejusque probationis consequentiam: quia enim *affirmatio & negatio reducuntur ad idem genus*, ut communiter notant Doctores; hinc in allata definitione sub ly, *dictum, factum, &c.* etiam horum negationes intelliguntur, id est, *non dictum, non factum contra legem Dei.*

In peccato actuali duo consideranda, materiale scilicet & formale, quid?

19. Pro resolutione sequentis Conclusionis notandum breviter, quòd in peccato actuali commissionis duo considerari possint, materiale scilicet & formale. *Materiale peccati* (quod alii *Substratum peccati* appellant) est ipsemet actus positivus hominis, quo perpetratur peccatum. *Formale verò peccati*, est privatio, seu carentia rectitudinis debitæ inesse illi actui, quæ nempe rectitudo, seu conformitas ad legem Divinam, deberet hîc & nunc inesse actui humano, & non inest: & in hac carentia rectitudinis debitæ actui, consistit ratio formalis peccati, seu peccatum formaliter sumptum. Sic in peccato homicidii, materiale, seu substratum hujus peccati, est extensio manûs, ac elevatio gladii erga hominem occidendum: formale verò, est privatio debitæ rectitudinis, seu conformitatis ad legem Divinam, quatenus illa elevatio manûs, percussioque fit contra prohibitionem legis Divinæ, volentis, ne homo injustè occidatur; ac proinde actus ille caret suâ debitâ rectitudine, seu conformitate ad legem Dei, quam habere debet quilibet actus humanus. Et hoc idem fit in aliis

aliis peccatis actualibus commissionis, ac suo modo etiam in peccatis omissionis: quo prænotato sit

20. CONCL. II. Peccatum actuale formaliter acceptum non consistit in positivo, sed privato; id est, in carentia seu privatione debitæ rectitudinis, seu conformitatis ad legem Divinam. Ita Doctor Subtilis in 2. dist. 37. q. 1. cum suis (excepto Poncio) D. Bonaventura in 2. dist. 37. art. 2. q. 1. Alensi, & pluribus aliis, contra non paucos Theologos oppositum tenentes. Conclusio hæc sequitur imprimis ex præcedenti Norando. Accedit auctoritas D. Augustini, qui super illud Joannis, cap. 1. *Sine ipso factum est nihil*, per *Nihil* intelligit peccatum, atque ait: *Manifestum est, quia peccatum nihil est*: ergo hoc nequit consistere in positivo. Probatum deinde Conclusio ratione: quia si peccatum formaliter consisteret in positivo, sequeretur quod Deus per se & directè esset causa peccati: sed consequens est falsum; ergo. Probatum sequela: Quia omne ens positivum per se & immediatè efficitur à Deo, utpote sine cujus immediato concursu nulla causa secunda potest operari, aut aliquid efficere, ut magis ostendi solet in Philosophia.

Peccatum actuale formaliter non consistit in positivo sed privato.

21. Confirmatur hoc ex definitione Peccati suprâ ex D. Augustino relata: nam in ea *ly dictum, factum, concupitum*, denotat materiale peccati; *ly contra legem Dei*, denotat formale peccati: atqui esse contra legem Dei, importat aliquid privativum, videlicet carentiam debitæ rectitudinis, seu conformitatis ad legem Divinam, quæ deberet inesse actui humano, & non inest; ergo.

Alia ratio Conclusio- nis.

22. Nec dicas. Homicidium, Blasphemia, & hujusmodi, sunt peccatum, ut patet: sed Homicidium, Blasphemia, &c. consistunt in positivo; ergo peccatum consistit in positivo. Resp. enim distinguendo minorem: sed Homicidium, Blasphemia, consistunt in positivo, si sumantur pro materiali, seu substrato peccati, conceditur; si sumantur pro formali, negatur minor, & consequentia. Sic enim consistunt in privato, nempe in privatione debitæ rectitudinis, seu conformitatis ad legem Divinam, quæ deberet inesse actui, & non inest: & hinc Homicidium in bello iusto, vel auctoritate publicâ erga malefactores factum, non est peccatum, eò quod hic non interveniat illa privatio conformitatis ad legem; quamvis quoad cætera in iusta, & iniusta hominis occisione, sint omnia æqualia. Verùm de hoc plura in Theologia Speculativa.

Solvitur instantia,

R

23. CONCL.

Deus non
est causa, &
author pec-
cati.

23. CONCL. III. Quamvis Peccatum aliquam causam habeat (eo saltem modo, quo privationes dicuntur habere causam) Deus tamen non est causa, & author peccati. Hæc Conclusio est de Fide certa, contra nonnullos Hæreticos. Ratio in primis est: quia peccatum, cum sit malum omnium maximum, quin & aversio à Deo tanquam ultimo Fine, repugnat infinitæ Sapientiæ, Justitiæ, & Bonitati Dei; unde is peccatum gravissimè, & sub interminatione æternæ damnationis prohibuit. Accedunt clarissima Sacræ Scripturæ testimonia, ut Psal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Sapient. 14. *Odio sunt Deo impius, & impietas ejus,* & alibi sæpè.

Deus con-
currit ad
materiale
peccati, non
tamen ad
ejus forma-
le.

24. Nec obstat I. Quod Deus concurrat physicè, ac immediatè, ad substratum & materiale peccati, puta ad elevationem manûs in actu homicidii. Resp. enim: licet Deus, tanquam causa prima & universalis, concurrat positivè ad substratum seu materiale peccati, ut omnes fatentur; non tamen concurrat ad ipsius actûs defectum, id est, ad privationem debitæ rectitudinis, seu conformitatis ad legem Divinam, in qua privatione consistit ratio formalis peccati. Hanc enim Deus solùm permittit, quatenus hominem à rectæ rationis regula liberè deviantem non impedit, ne tollat ejus libertatem; ac proinde vi pacti sui generalis de sinendo causas secundas motus suos agere, permittit defectu hominem agere, quidquid vult, quem tamen, si peccaverit, nec poenituerit, suo tempore se verissimè est judicaturus, ac puniturus.

Deus, quo-
modo dica-
tur homi-
nem indu-
rate, excæ-
care, &c.

25. Nec obstat II. Quod Deus in S. Scriptura quandoque legatur hominem indurare, excæcare, & hujusmodi: ut Exodi 7. *Ego indurabo cor Pharaonis.* Isaïæ 6. *Excæca cor populi hujus,* & alibi. Resp. enim cum communi Theologorum, hujusmodi S. Scripturæ loca non esse intelligenda de actione positiva, ita quod Deus immittat errores, aut duritiam in cor peccatoris, ut explicant nonnulli Hæretici (hoc enim repugnat citatis, & aliis pluribus Sacræ Scripturæ testimoniis) sed ea in primis quoad Deum esse intelligenda permissivè, sive quatenus is iusto suo judicio permittit peccata. Deus enim, partim ut salva remaneat homini peccatori sua libertas, partim ut nonnunquam uno peccato liberè ab aliquo eliciendo puniat aliud, partim ut homines iusti per malos quandoque exercentur, partim ob alia sua imperferabilia judicia, permittit homines malè agere, occasione cujus hi subinde in peccatis magis indurantur, atque ad bonum faciendum excæcantur.

26. Dein-

26. Deinde dicitur Deus hominem indurare, excæcare, &c. subtrahendo specialiora gratiæ actualis auxilia. Deus enim iusto suo iudicio, ac in pœnam præsertim priorum peccatorum, subtrahit homini in peccatis inveterato, non quidem omnia, sed solum specialia & uberiora gratiæ actualis auxilia; sine quibus ille posset quidem benè agere prævideretur tamen à Deo non benè operaturus, idque ob propriam suam malitiam, & perversam voluntatem. Ulterius alio modo dicitur Deus excæcare hominem, occasionaliter videlicet, siue inferutabili suo iudicio aliquid ponendo, vel removendo, ex cuius positione, vel remotione, sumit homo ex propria malitia occasionem peccandi: ut quando respiciens ad munera Abel, præbuit occasionem Cain ad æmulationem, ipsūque fratricidium (nam hoc posse Deum facere, non quidem ex primaria intentione peccati, sed alijs de causis, certum est; cum etiam homo in certis casibus licitè possit aliquid facere, vel omittere, non obstante, quòd prævideat proximum inde accepturum occasionem peccandi) vel quando patienter & longanimiter fert iniquitates, qua patientiâ abutentes peccatores sumunt maiorem peccandi licentiam, sicque dantur in reprobum sensum.

Alii modi, quibus dicitur Deus hominem indurare, excæcare, &c.

27. CONCL. IV. Causa propria, & interior peccati, est sola voluntas creata deficiens à recta regula morum in operationibus liberis. Ita certa omnium. Ratio est: quia voluntas libera est debitor, ut omnem actum suum, siue elicitum, siue imperatum, eliciat conformiter legi Divinæ; ergo hoc non faciendo peccat, sicque est causa propria peccati.

Causa propria & interna peccati est sola voluntas creata.

28. Dicitur notanter, *causa propria, & interior peccati*. Nam dantur etiam causæ exteriores peccati: ex quibus in primis est Diabolus, qui incitando, & tentando homines, est causa moralis inductiva peccati. Accedunt Mundi, & Carnis illecebræ, ut patet: immò nonnunquam unus homo est alteri causa peccati; præterea etiam potentia exteriores sunt sæpè voluntati causa, seu potius occasio peccati. Adhuc tamen hæc omnia non sufficiunt ad peccatum, nisi voluntas liberè consentiat; & alioquin potius præbent homini iusto atque in certamine constanti, ansam victoriæ, meriti que, & augmenti gratiæ & gloriæ cœlestis.

Dantur etiam causæ externæ peccati, quæ?

29. Alia plura, quæ concernunt peccatum actuale, partim colligi possunt ex dictis supra *Tract. 1. Dist. 2* partim amplius patebunt ex dicendis, præsertim ubi agetur de *Peccato mortali & veniali*.

Alia circa Peccatum actuale remissivè.